

ANNO DOMINI MXXVIII

BERNARDUS EPISCOPUS LUTEVENSIS

NOTITIA

Is dictus est Bernardus de Provenqueris, qui pro jurium ecclesiasticorum tuitione immensos sustinuit abores. Concilio Claromontano interfuit anno 1095, ibique Urbani secundi classico excitatus, sacre militiae nomen dedit; et triennio post captam civitatem sanctam hominem exuit. Porro ex hac charta innotescit Ius frater Austorgius, uti et Willelmus de Provenqueris, ejus consanguineus.

DONATIO PRO ECCLESIA S. GREGORII RUTHENENSI.

(Anno 1095.

[Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius. — Edidit D. MARTENE, *Ampl. Collect. I, 552.*]

In Dei nomine ego BERNARDUS, gratia Dei Lutensis episcopus, notum atque manifestum esse volo cunctis hominibus quod censu et ingenio atque ab ore meo redemti ecclesiam S. Gregorii, quae est in episcopatu Ruthenensi, in territorio Valleoli, de manu laicorum consanguineorum meorum, Willielmi scilicet de *Pretencheires*, qui tertiam partem in ecclesia ipsa injuste et per invasionem tenebat, et dedi pro ipsa tercia parte.... millia solidorum Podiensium, ea intentione ut praefata ecclesia quam male et in honeste ordinata erat, ego bene et libere ad amorem Dei et ejus servitium ordine regulari perpetualiter ordinarem. Hanc igitur intentionem meam completere cupiens, consilio et laude fratris mei Austorgii dono, concedo ipsam ad praesens tertiam partem praescriptae ecclesiae, quam, ut prælibatum est, studio et substantia mea redemi, venerabili abbatи Massiliensi Richardo, et per eum do B. Mariæ atque S. Victorii martyri Massiliensi, necnon et successoribus et monachis predicti abbatis, tam presentibus quam uturis ut habeant et possint deant, et quidquid inde voluerint ad Dei servitium faciant. Debent autem praefatus abbas et monachi ejus semper scire quod per nullum alium nisi per me, et parentes meos donum hujus ecclesiae, quod ego pro remedio peccatorum meorum et animabus parentum meorum illis facio, adepti sunt. Unde solliciti sint mihi et parentibus meis hoc donum semper recognoscere, et pro nostra salute ad Dominum exorare. Sane si quis contra hoc nostrum donum veniens infringere illud vel inquietare tentaverit, cujuscunque sit generis, conditionis et ordinis, non valeat vindicare, sed iram Dei omnipotentis incurrat; et præterea haec nostræ donationis charta firma in æternum stabilisque permaneat.

B

Actum est hoc vi Nonas Octobris, anno Domini 1095.

Signum Bernardi qui hoc donum fecit et firmavit, et testes firmare rogavit.

Signum Austorgii.